…ri: Quaestio physico-mathematica de influxu coelorum in haec inferiora.

PH

I

M.

Co

Cyclo

Ty

D. O. M. A.

QVÆSTIO PHYSICOMATHEMATICA

DE INFLVXV CÆLORVM, IN HÆC INFERIORA.

A

M. ADAMO NOWAKOWSKI, Contubernÿ Philosophorum Seniore publicè ad disputandum in Alma Academia Crocouien.

PROPOSITA.

In Lectorio DD. Theologorum.

Permissu Magnifici Domini

RECTORIS.

Cyclo Solis, I. Cyclo Lunæ XI. Indictione, XII.
Pachon. 30. Hora

CRACOVIÆ,

Typis STANISLAI BERTVTOWIC,

IN ARMA
PERAVGVSTÆ DOMVS
TARNOVIANÆ.



Ritè Stagyræo qui vult concurrere campo
Fulgida TARNOVII ſtemmata ſuſpiciat
Namque Triplex Vomis contraria tela retundet
Et Roſa victori candida ſerta dabit.

PERILLVSTRI ET ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. JOANNI

à TARNOW

TARNOVVSKI,

ECCLESIÆ CATHEDR: CRACOV: ARCHIDIACONO: *VLADISLAVIEN. VARSSOVIEN. &c.* CANONICO,

S. R. M. SECRETARIO DOMINO & Patrono Amplissimo.

ATHletæ quantumvis firmum & inconcussum robur virium obtineat, in arenam absque patrocinio & fauore descendere periculosum, atq; adeò plenum discriminis esse aiunt, Perillustris & Admodum Reuerende Domine: Est nimirum externæ propensionis subsidiũ, quædam quasi anima decertanti, & qua orbatus fortissimus etiam ob ambiguos Martis euentus, aut animo concidat grauissimè, aut vulneri lethali in conflictu succumbat turpissimè. Prodeo & ego in campum non Martio puluere aut hostilibus Spoliis insignem, sed Laureis adornatum Philosophicis, in conspectum inquam Virorum grauissimorum, quæstionem de superiorum corporum in hæc inferiora influxu ibi defensurus; Sed cum ingenium atq; Minerua mea, suæ conscia tenuitatis me terreat magnopere; ad Tuum Perillustris & Admodum Reuerende Dne patrocinium, quasi sidus quoddam beneficum & salutare confugio, augustumq; nomen Tuum

& gentilem Rosam præsenti lucubrationi meæ præfigo, eamq; Tui Iuris facio; Sperans fore vt hoc animatus auxilio prosperum & fortunatum laboris præsentis sortiar euentum. Mouit me ad hoc audendum insignis & heroica generosi animi Tui humanitas, Illustris Familiæ Splendor, beneficia multoties mihi multis in rebus circa institutionem Tuorum nepotum exhibita, & summa ob præclarissimas Virtutum dotes in Amplissimo Capitulo Cracouiensi dignitas atq; authoritas; quæ omnia exquisitis sapientiæ Tuæ ornamentis ita augentur atq; illustrantur; Vt & Ecclesia Dei ex Tuis laboribus summos fructus, & omnes boni patriaq; ipsa ex Tuis Virtutibus vberrimam capiat suorum emolumentorum accessionem. Quid verò alias enumerem virtutes Tuas, Justitiam, Temperantiam, Liberalitatem, & in studio recti & boni immotam Constantiam, quam in Te ipsa etiam alienæ virtutis hostis inuidia suspicit, & admiratur. Tantis igitur tantarum tuarum fultus præsidijs, tantò nominis Tui animatus splendore operi philosophico me accingo, lætum & hilare post labores gentilitio Tuo roseto cantaturus epinicion. Tu modo Perillustris & Admodum Reuerende Domine, quem sacer ordo in Archidiaconatus locatum esse voluit fastigio, mihi in Academico Prytaneo seu prælianti, seu philosophiæ Mystam agenti faue, & debitum hoc pietatis in Te meæ quod ad Te properat accipe, & sereno quo omnes soles Musarum labores vultu dignare. Vale felix, & viue fortunatus Ecclesiæ, patriæ Tuorumq; firmum & singulare ornamentum.

Perillustris & Admodum Reuerendæ Dominationis Tuæ

Cliens.

M. ADAMVS NOWAKOWSKI
Philosophor. Contub. Senior.

QVÆ-

QVÆSTIO PHYSICOMATHEMATICA.

DE

Influxu cœlorum in hæc inferiora.

V. Corpora cœlestia in hunc sublunarem mundum non solum motu, lumine, sed etiam occultis impressionibus agant, nec ne?

CONCLVSIO I.

Siderea corpora in hæc inferiora vi quadam generaliore sibi à primo mouente communicata actiuitatem imprimunt.

COROLLARIA.

 1 Elemen-

1. Elementorum alterationum perpetuæ vicissitudines, à stellarum operatrice facultate, in genere causæ efficientis immutantur; tametsi illas ex sua natura & formaliter variari non impediat quidpiam.

2. Res producendæ & faciliùs & feliciùs generantur, si benigniorem astrorum habeant constitutionem; Si verò maleficorum Syzigias in suo ortu possederint, eorum initia vel omnino impediri, vel breui interire oportebit.

3. Astra licetsi agant in corpora sublunaria in humanam tamen voluntatem per directum non habent quidquam potestatis; alioquin liberum arbitrium infringi esset necesse.

4. Exinde manifestum est. primum movens non immediate rerum generationem attingere, sed mediantibus astris quibus virtus communicata est; vt immediatiùs rerum producendarum effectus causarent.

5. Superior orbis transfundit in orbem inferiorem suam virtutem, vt ab inde & per alios orbes vsq; ad elementa deferatur.

6. Etiamsi impressa qualitas alteri orbi commu-

communicetur illi tamen orbes alterationi non ſubiacent; alias & corruptionem non effugerent.

CONCLVSIO II.

Motus eſt cuius beneficio inferiora, à ſuperioribus immutata. Viciſſitudinarias ſubeunt alterationes.

COROLLARIA.

1. Superiora inferioribus ita nexu ſororio copulata eſſe videntur. Vt ſi illa quieſcerent: hæc quoque deficerent in ſuis lationibus.

2. Motus cœli præſertim autem principis aſtrorum Solis efficit vt res in orbe Sublunari aliquando vernent, aliquando ad maturitatem per caloris coctionem deueniant, nonnunquam frigoribus oppreſſæ intermoriantur.

3. Morborum vis non ſolum ex ordinatione diuina, vel ex vniuſcuiuſque immoderata victus ratione pullulat, ſed ab aſtris etiam, tanquam à cauſis vniuerſalioribus eam corporibus humanis per alterationem ſublunarium imprimi quotidiana ferè docet experientia.

4. Neque hoc negari poteſt eò fortiorem fieri

fieri cœlorum operationem, quò velocior motus est per quem huiusmodi actiuitas instillatur.

5. Varia & distincta tam specierum quam indiuiduorum Symmetria; quanquam primariò ad primi creantis omnipotentiam referenda sit, non tamen omninò astrorum multiplici naturæ & diuersis configurationibus negari debet.

6. Multa genera Mensurarum temporis deprehenduntur, sed tamen non est certior, quam quæ ab astris præsertim autem à reuolutione primi mobilis peti solet.

CONCLVSIO III.

Lumen est vehiculum quoddam operationis sidereæ ab orbibus cœli in inferiora transfundendæ.

COROLLARIA.

1. Sunt qui lumen solis partim substantiam materialem, partim immaterialem, à corpore luminoso prosilientem affirment; nos cum rectiùs philosophantibus accidentalem ei naturam censemus attribuere.

2. Quod

2. Quod aliquando maiores, aliquando minores dies artificiatos habeamus, id breuior, vel diuturnior Splendentis Solis mora in Horizonte, præstare consueuit.

3. Herbarum vires tam noxiæ, quàm medicatæ non aliundè proueniunt, quàm ab astris prout bonorum vel malorum aspectui secundum naturæ suæ ad eorum impressiones proportionem subiiciuntur.

4. Res ex elementis progenitæ calore superiorum Viuifico ad maiora suæ magnitudinis incrementa deducuntur.

5. Aeris infuscati obnubilationes (vnde vt plurimum infectiones corporum nasci solent) per lumen astrorum dissolutæ & temperatiorem, & amæniorem auram restituunt.

6. Luminis radius ad perpendicularem reflexus magis calefacit quàm obliquus.

CONCLVSIO IV.

Astra præter motum & lumen modo peculiari per occultas influentias inferioribus suam imprimunt actiuitatem.

COROLLARIA.

1. Heliotropium habet impulſum ab aſtris, quemadmodum & gemma, Clementis Septimi Pontificis Maximi, quæ habebat maculam in medio incluſam, & ad orbem cum Sole girante rotabilem.

2. Occulta influentia facit vt partes terræ ad polos propinquiores, quæ nec motum cœleſtem velocem habent, nec radiis luminoſis directè ſubſternantur, inhabitentur.

3. Lotus Ægyptia, herba, eam facultatem à virtute cœleſti impreſſam habet, vt elato capite ſupra aquas Solem in Horizonte præſentem in girum ſequatur; eò verò in ſubterraneas plagas abeunte, ſeſe intra aquas recondit, atque ita in profundum demergitur, vt ne dimiſſa quidem manu attingi valeat; poſtea diluculo redit, & ſole ſeſe ſurſum attollente, eadem explicatis floribus, ſuper aquas in altum aſſurgit.

4. Eidem incognitæ cælorum operationi attribuendum & illud quod Oceanus ſenis horis fluat, & aliis ſenis refluat, vt perpetuò quodam motu cieatur.

5. Magnes ferrum abditâ suâ vi & facultate non attraheret, si non sibi talis potentia à superioribus communicaretur.

6. Gemmæ, lapides, & melioris notæ metalla, beneficio huiusmodi occultarum impressionum, in terræ abditis visceribus generata, ad id pretium & æstimationem quam apud homines habent, deuenerunt.

SVB FELICIBVS AVSPICIIS.

Admodum Reuerendi & Magnifici Domini,

D. IACOBI VITELLII, S. TH. SENTENTIARII, & PROFESSORIS,

Ad S. Florianum Canonici, Almæ Vniuersitatis Cracouien.

RECTORIS

Vigilantissimi.

IN STEMMA ACADEMIÆ.



Floreſcunt medio pulchrè duo ſceptra vireto.
Quid mirum lætos vere nouante dies.
Num geminos tantum fructus Ægyptia tellus
Fert? etiam portat terra Polona duos.
Inter Athenæum ſceptris ſignantur honores,
Quoſquos ſacra ferunt, quoſuè profana parant.

Ad Maiorem DEI T. O. M. laudem, & honorem B. MARIÆ Virginis debitum cedat.